

CONCILIO LATERANO III, 1179, canone 27.

Testo da:

<https://web.archive.org/web/20131006143907/http://faculty.cua.edu/pennington/Medieval%20Papacy/Lateran%20III%20Complete.pdf>

27. Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta iudicio, cruentas effugiat ultiōes, catholicorum tamen principum constitutionibus adiuvatur, ut saepe quaerant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt supplicium evenire. Eapropter, quia in Gasconia, Albigesio, et partibus Tolosanis et aliis locis ita haereticorum, quos alii Catharos, alii Publicanos, alii Paterinos, alii etiam aliis nominibus vocant, invaluit damnanda perversitas, ut iam non in occulto sicut alibi nequitiam suam exerceant, sed errorem suum publice manifestent et ad consensum suum simplices attrahant et infirmos. Eos, et defensores et receptores eorum, anathemati decernimus subiacere, et sub anathemate prohibemus, ne quis ipsos in domo vel in terra sua tenere vel fovere aut negotiationem cum eis exercere praesumat. Si autem in hoc peccato decesserint, neque sub privilegiorum nostrorum quibuscumque indultorum obtentu neque sub alia quacumque occasione, aut oblatio pro eis fiat aut inter Christianos accipient sepulturam. [...]